50678/P (TAP)

C.2
C.17

C.b/e.17

TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE,

DE

CHLOROSI:

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et Nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT,

JACOBUS TAPSCOTT,

ANGLO-AMERICANUS.

Ad diem 7 Decembris, hora locoque ſolitis.

Aſpice, ut urbanae palleſcant ora puellae,
Utque ſepulchralem referant labia alba colorem.
Non ita fit nymphis, quae per glaciemque nivemque
Ardentes vultu flagranti incedere gaudent.

EDINBURGI:

APUD A. DONALDSON.

MDCCLXV.

308703.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

GRAVISSIMO ATQUE AMPLISSIMO VIRO

JOHANNI PENN,

ARMIGERO,

PROVINCIAE PENNSYLVANIENSIS,

PRAETEREA

NOVI-CASTRI, KANTII ET SUSSEXIAE

PAGORUM SUMMO PRAEFECTO,

ARTIUM ET SCIENTIARUM FAUTORI EXIMIO,

OFFICIA IN PATRIAM SUMMA CUM FIDE ET DIGNITATE

PRAESTANTI ET SUSTINENTI;

SICUT ET

VIRO CLARISSIMO

JOHANNI FOTHERGILL, M. D.

REGIAE SOCIETATIS ET

COLLEGII MEDICORUM REGII EDINENSIS

SOCIO DIGNISSIMO,

REIQUE MEDICAE PERITISSIMO,

INGENIO ET LITERIS SPECTATO:

NEC NON

JACOBO PEMBERTON,

ARMIGERO,

HUMANITATE ET MORUM PROBITATE

IN PRIMIS CONSPICUO

DE SE OPTIME MERITO,

PRIMOS HOS IN ARTE MEDENDI CONATUS

PERPETUUM OBSEQUII ET OBSERVANTIAE SUAE PIGNUS

SACRUM VOLUIT

JACOBUS TAPSCOTT.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CHLOROSI.

MORBUM quem tractaturi ſumus variis nominibus ſcriptores varii; HIPPOCRATES "viridem," quia eo laborantes vireſcente colore ſunt; ETMULLERUS, SENNERTUS, et alii "virgineum," quia virginibus contingit; alii "febrem albam," ob pallorem et pulſuum frequentiam; alii "amatoriam febrem," quia amare incipientes petit, appellitarunt. Alii etiam alia haud diſſimilia vocabula finxerunt. Apud noſtros, vulgo vernacule vocatur,

 quod

quod viridem aegritudinem interpreteris. Nos, quia vox *Chloroſis* a pleriſque ſcriptoribus uſurpatur, eam, in futuro opere, ſequemur.

Chlorosis eſt morbus muliebris, virginibus intactis et puberibus, ob menſtrua cohibita, incidens; ubi foeda et diſcolor cutis eſt; cibus faſtiditur; et totum corpus et animus langueſcit.

Cum igitur mulieribus propria chloroſis ſit, priuſquam ejus hiſtoriam adgrediamur, quaedam de earum corporum incremento, partim communia, partim propria, et ad noſtram rem utique ducentia, dicemus.

Corporibus hominum, ſicut et aliorum animalium commune eſt, a prima origine, per omne illud tempus, quo oſſa et vaſa cordis vi adhuc diſtenduntur, in omnes partes augeſcere; et, ſimul ac firmarum partium par robur cordis vi impellenti pari reſiſtit, in longitudinem amplius creſcere non poſſe. Atque hic vigor vel flos aetatum animalium dicitur. Quo tempore cum viſcera chylum conficientia eandem hujus, quam ante, copiam

piam conficere pergant, atque ita corpus plus quoque ſanguinis, quam opus eſt ad ſeſe alendum, accipiat; mulieribus omnium utriuſque ſexus animalium proprium eſt, abundantem humorum copiam, certis temporibus, per uteri vias ejicere. Quod ſic ejicitur ſanguis ruber eſt; actio vero ejiciendi eo menſtrua dicitur; quod, licet aliis maturius, aliis tardius, pleriſque tamen menſtruo quoque ſpatio hoc profluvium incidit. Adeoque neceſſaria menſtrua ſunt, ut, iis rite reſpondentibus, corpus ſanum ſuis muneribus rite fungi valeat. Eadem, ubi vel aetate debita non profluunt; vel, ſi profluxerunt, poſtea occluduntur; vel alioquin temporis, modi, aut coloris rationem parum ſervant; cum alios morbos plurimos, tum chloroſin ſaepiſſime creant. Cujus notas proxime exponemus.

Morbi hiſtoria.

IN hoc morbo omnes fere corporis actiones vitiantur. Quo fit ut tot tamque variae affectiones plerumque ſequantur. Languor et

infirmitas toto corpore paullatim ſerpit. Vires concoquendi prae caeteris imminuuntur. Hinc ſolitorum ciborum faſtidium, et alienarum rerum plerumque deſiderium naſcitur. Gravitas et quaſi pondus ventriculum premit. Ructus ingratus, ventriculi morſus, nauſea, et vomitus exercent.

Quibus deinde moleſtus ſenſus et murmura viſcerum, loca circa hypochondria tenſa, et alvus ſoluta ſuccedunt. Nonnullis lumbi, inguina, aut regio hypogaſtrica certis temporibus magis minuſve dolent.

Procedente morbo, grata illa puellaris rubedo et candor amabilis corrumpitur. Vultus et cutis color vividus primum palleſcit, mox flaveſcit, virideſcit, et liveſcit. Oculi atris et lividis circinis cinguntur. Urina admodum pallida et prope ſine colore circa initia, provecto morbo tincta et turbida redditur. Cor frequentur palpitat; ſpiritus, maxime inter clivos aſcendendos aut motum vehementiorem ſuſcipiendum, difficile trahitur. Pulſus arteriarum plerumque preſſiores et celeriores reperiuntur. Caput ſubinde

inde dolet. Nunc inertia et languor ſummus eſt, et poſt leviſſimam exercitationem fatigatio. Solitudo prae omnibus rebus chloroticis puellis placet. Eaſdem animi motus vel leviſſimi irritant. Proniores in ſomnum ſunt: palpebrae, maxime matutino tempore; ac artus inferiores, prae caeteris tali, veſpertino, turgeſcunt. Horum tumor ante poſterum diem mane decreſcit. Idem, morbo mora firmatiore, per totum etiam corpus ſerpit. Et alios morbos, pro aliis partibus affectis, ad abdomen aſcendens, aſciten; ad pulmones, horum tabem; totum truncum occupans, praeter hydropa, animae defectum, et extremorum frigus, poſtremo mortem ipſam facit.

Expositis hujus morbi ſignis, quae in pubeſcentem puellam convenientia chloroſin eſſe declarant; ad cauſas morbi proxime tranſeundum eſt.

Chloroseos cauſam menſtrua occluſa eſſe ſupra monſtravimus.

Men-

Menstruorum autem profluvium occludunt vel totius corporis actiones varia turbantia; vel partes, ideoque uterum per conſenſum male afficientia.

Haec autem ad duo capita referri poſſunt.

Primum ad fibrarum infirmitatem, in ſanguinem minus valide agentem.

Deinde ad impedimenta, quae partim in humorum lentore, partim in vaſorum conſtrictione conſiſtunt.

Fibrarum infirmitas vel nativa eſt; vel ex multis caſibus, quale vitae genus quietum eſt, adveniens.

De nativa vero dici poteſt, vitia parentum eſſe quae ad liberos et ſeros nepotes labem ſaepe demittunt. Adeoque totas cognationes et familias ea communi nota, magis quam inſignibus et imaginibus majorum, diſtinctas eſſe certa obſervatio docet.

Rursus

Rursus ut conſuetudinis in omnibus rebus humanis vis magna eſt, et ipſi ſaepe naturae par reperitur; mirum videri non debet, ſi ea quoque huic morbo plurimas patefacit. Huc referenda ſunt morborum anteactorum vis, et pravus aut quiete vivendi tenor. Cum vero quiete vivendi error potiſſimum hic valeat, et frequentiſſima morbi cauſa ſit; de eo prae caeteris verba faciam.

Quies nimia univerſas fere mulieres tenet, quae in ullo vitae faſtigio aevum degunt; et perpetua fere mollitiei nota earum corpora diſtinguit ab infimae ſortis mulierum, labore et exercitatione membra durare, neceſſe habentium. Quo fit ut quanto duriora et firmiora illarum tota corpora hoc vitae uſu fiant, tanto robuſtiora et a menſtruorum ſuppreſſione tutiora uteri etiam vaſa reddantur. Contra, ut illae pari ratione molleſcant, ac impedimentis cum aliarum partium, tum ipſius uteri, adeoque et cohibitis menſtruis pateant, neceſſe eſt. Haec vero mollities tam imbecillitatem, quam irritabilitatem ſeu ſenſilitatem auctam complectitur.

Vasa imbecilliora juſto in humores non ſat potenter agunt: ſanguis igitur tardatur. Hinc humores crudi fiunt, ſtagnant, et impediuntur.

Rursus habitus nimis ſentiens et irritabilis leviſſimo quoque caſu afficitur. Hinc ſpaſmus ſequitur, et vaſa conſtricta impediuntur. Hujuſmodi vero ſive imbecillas ſive irritabiles puellas impeditis menſtruis periclitari, Boerhaavii his verbis ſententia firmare videtur. Qui, " nullae inter feminas," inquit, " ab hoc caſu magis patiuntur, quam " pulcherrimae, candidiſſimae, genis et labiis " roſeis praeditae."

Quod ad humorum lentorem attinet, tenacia et cruda per cibum et potionem aſſumpta; cujuſmodi ſunt farinacea non fermentata, craſſa, pinguia, et aquoſa; concoctionem impediendo, chylum rite mutari prohibent; bilem inertem reddunt; alvum comprimunt, et humores in lentorem proclives efficiunt. Eadem in acidam aut putreſcentem fermentationem ruentia, pravum alimentum ſuggerunt, atque ita crudos et craſſos humores

reddunt,

reddunt, hoſque et alibi et in uteri vaſis maxime impediunt. Id quod nobili virgini a TIMAEO memoratae uſu veniſſe videtur: ejus menſtrua juſto ordine aliquamdiu profluxerant: poſtea verò quam cibo craſſa et tenace natura liberius et frequentius uſa erat, menſtruorum profluvium ſubſtitit, nec ita multo poſt prorſus chlorotica evaſit.

PORRO nimia quies quae jam ante memorata eſt et ſomnus immodicus ſanguinis quoque lentorem creant.

UT enim nihil concoctionem, ſanguinis confectionem, ſecretiones et excretiones omnes, magis quam excretio idonea, adjuvat aut corpus magis roborat; ita e contrario illa neglecta plurimas noxas infert. Muſculis enim non ſatis motitatis, ſanguis in venis accumulatur, per omnia vaſa tardatur; unde crudus redditur, ſtagnat, impeditur, et lentam naturam acquirit, ſecretioneſque et excretiones juſtum ordinem ſervare deſinunt.

SPASMUM denique, quem, vaſa arctando, humores quoque impedire diximus, animi

perturbationes, frigus, aut adſtringentia aſſumpta creant.

QUAS turbas toto corpori animi affectiones graviores et curae moleſtae inferant, et quantopere mulieres prae caeteris affligant, nemo non novit. Harum autem affectionum ſeu perturbationum praecipuae ſunt, ira, terror, moeror, quaeque his ſimiles ſunt, deſperatio, aut longum amati deſiderium. Quae omnia mirum in modum in viſcera agunt, et ſpaſmis ventriculum et alimenti vias conſtringunt. Hinc per conſenſum uteri quoque vaſa ſpaſmis afficiuntur, et menſtrua vel impediuntur vel ex toto ſupprimuntur. Eaedem conſtrictiones, ſi vehementiores aut diuturniores ſunt, concoctionem inſigniter laedunt; chyli et ſanguinis confectionem impediunt; cordis et arteriarum actionem debilitant; itaque ſanguinis impetum per totum corpus, ac proinde in utero minuunt. Qua ratione hujus vaſa facile oppilantur, et menſtrua igitur occluduntur.

PORRO frigus vel corpus extrinſecus afficiens vel intus perlatum ſaepiſſime ſpaſmos adfert.

adfert. Hoffmannus frigidas potiones vacuo ventriculo receptas, vel conſuetudinem nudis pedibus ambulandi, virginibus peſſimas turbas et menſtruorum ſuppreſſionem inferre teſtatur. Ut enim calor ſanguinem rariorem facit et fibras reſolvit; ita e contrario frigus notiſſimam parva toto corpore vaſa conſtringendi proprietatem poſſidet. Hinc humores non debito ordine circumferuntur. Ideoque omnes excretiones naturales, et omnium maxime, menſtrua perturbantur. Ob quam cauſam Hippocrates impeditorum aut ſuppreſſorum menſtruorum originem frigidum aëra conſtituit. Sed haec frigoris vis in corporibus imbecillioribus, aut partibus jam ante debilitatis etiam inſignior erit.

Praeterea amplior et frequentior adſtringentium medicamentorum uſus, in nervos ventriculi et inteſtinorum agendo, fibras et parva vaſa corrugant; et, per conſenſum nervorum inter haec loca et uterum intercedentium, in ejuſdem affectionis partem uterum perducunt. Unde menſtruorum ſuppreſſio naſcitur. Quinetiam ſubtiliores ho-

rum medicamentorum partes, in ſanguinem permanando, eadem forſitan et eodem modo efficiunt.

Item cruda ventriculum turbantia a cibis craſſis et tenacibus de quibus alibi ſupra relatum eſt orta, priuſquam provectiorem concoctionis partem efficiant, protinus uterum per conſenſum in ſpaſmos perducere, et menſtruorum profluvium prohibere poſſunt. Utpote cum inſignis ventriculo cum plerisque partibus prae caeteris cum utero per communes nervos conſenſus intercedat.

Postremo, ut Sennertus ait, ipſa uteri vaſa ab origine nimis anguſta conformata eſſe poſſunt.

Unde, quo tempore primum menſtrua incipiunt uteri vaſis ſanguinis impetui valide reſiſtentibus, plurimas turbas naſci neceſſe eſt. Nec non menſtruorum profluvium inde etiam occludi poſſe veriſimile eſt. Eoque hujus periculi plus erit, quo magis cauſae ſupra numeratae forte ad hanc accedentes hoc monſtri augent.

Quaelibet igitur harum cauſarum incidentes, ſanguinem qui hac aetate certis temporibus redeuntibus effluere debet, intus retinent. Qui retro toto corpore denuo circumfertur; et per conſenſum cum utero laborante omnes fere corporis partes et officia, maxime vero naturalia, perturbat. Hinc vaſa hebetantur et torpeſcunt; nec humores ita ſubigunt ut ad corpus alendum idonei fiant. Ergo humores ſic diſſoluti et corrupti cutem pallido aut vireſcente colore ſuffundunt. Utrorumque vero et humorum et firmarum partium tam late patens labes, infinita illa mala ſupra commemorata infert.

Affectionum omnium ratio.

Languor et infirmitas pleriſque morbis incipientibus communis eſt, et ab affectionibus plura corporis loca turbantibus oritur. Quamdiu enim firmae partes et vaſa debitum robur et elaterem ſervant, tamdiu juſto ordine humores ubique circumfluunt. Vaſa enim in hos juſta vi agentia, omnes

mnes partes inter ſe rite diffundunt. Itaque omnes corporis partes propriis quaeque officiis rite, facile, et cum voluptate funguntur. Totum corpus leve, vegetum et agile ſentitur. Contra nervorum aut arteriarum robore deficiente, nec humoribus aut vaſis partes ſuas perficientibus, langueſcit corpus et quaſi debilitatur.

"VIRES concoquendi ——— naſcitur." Uterum cum alimenti viis mirum in modum conſentire omnes norunt. Itaque per hunc communem conſenſum ventriculi nervi mutantur, ſanguine huc nimia copia delato male afficiuntur, et acido hic genito ita perturbantur, ut "ſolitorum ciborum faſtidium, alienarum rerum pravum deſiderium" creent. Quae res, ut ut diſcrepare videantur, tamen et guſtatu gratae ſunt et ad vitium ventriculi corrigendum idoneae.

"GRAVITAS et quaſi ———— ſubinde dolent." Juſto ventriculi robore opus eſt quo variae alimenti partes agitentur, miſceantur, inter ſe diffundantur et fermentatione quadam ſubeunte mitiores reddantur. Aliter

ter enim ſatis ſubigi, et in idoneum chylum commutari alimentum nequit. Sed ſimul ac ſuam agendi poteſtatem ventriculus perdit, alimentum protinus ſua ſponte in aceſcentem vel in putreſcentem fermentationem ruit, prout vel ex herbarum genere vel ex carnium natura ante conſtiterit, atque ita acrem naturam acquirit. Quarum acrium et crudarum rerum partes quaedam ſubſiſtentes, et cum muco indies creſcente mixtae, tenaciſſimum ſordium genus gignunt, et internum ventriculi cavum obducunt. Unde fibrae ſentientes ita afficiuntur, ut "gravitate "quadam et quaſi pondere intus depreſſae," ſibi mulieres videantur. Hinc "nauſea "quoque et vomitus" naſcuntur. Aër vero magna copia natus, ventriculi tunicas diſtendendo et vellicando, "ructus frequentiores et "ventriculi morſus" facit.

Eadem nocentia inteſtinis mox recepta, in his quoque varias turbas, ut ingratum ſenſum, ventris murmura, excitabunt. Porro ad colon pervenientia, "regionem circa hy-"pochondria diſtendent; alvum fundent;

"lumborum,

" lumborum, inguinum, et hypogaſtrii do-
" lores movebunt."

" Color palleſcit." Ad vitam animalium neceſſarius eſt pulmonum, cordis, et arteriarum aſſiduus et idoneus motus. Quo chyli particulae denſiores et compactiores redduntur, ac proinde in denſos et rubros globulos mutantur. Hi facile, libere, et volubiliter toto corpore circumlati, vegetum et florentem totius colorem faciunt. Contra ſimul ac hae vires concoquendi debilitatae langueſcunt, ſanguis minus atteritur et diffunditur; itaque, juſto rubrorum globulorum numero non confecto, color corrumpetur et varie mutabitur, prout ſanguis magis aut minus vitiatus fuerit. Quod vitium coloris manifeſtius in iis locis erit in quibus vaſa propemodum nudantur, nullâ cute verâ teguntur, ſed tantummodo tenuiſſimis tunicis velantur; id quod in canthis oculorum, interna palpebrarum parte, labiis, ore, et gutture videre eſt.

" Urinae pallor," plerumque tum apparet cum ſanguis tarde movetur. Hinc

viſcera

viſcera torpoſcunt, et excretiones hebetantur. Verum, provecto morbo, urina acribus et diſſolutis humoribus repleta, alto colore et turbida apparet.

"Cor frequenter palpitat ——— ſuſci-"piendum." Simul ac corpus movetur, venae nunc humoribus refertae a muſculis agentibus premuntur. Quo facto humores ad dextrum cor majore copia et celerius perpelluntur, quam per pulmones tranſmittuntur. Itaque cor hoc irruentium humorum ſtimulo irritatum, partem novam et abundantem crebriore contractione ejectare conatur. Pari modo ſanguine ſubito et majore copia ad pulmones perveniente, ſpiritus difficilius et moleſtius ducitur. "Pulſus arteriarum plerumque depreſſos et celeres" facit ſanguis ad cor tardius et minore copia rediens. Ob quam cauſam cor non ita ſtimulatur ut ſolito impetu agat, ſanguinemque in aortam ſolita vi impellat. Quam moleſtiam ipſius cordis imbecillitas auget.

"Capitis ſubinde dolor" ex ventriculi turbis naſcitur.

"Nunc inertia ——— fatigatio." cum adeo nunc omnia debilitata ſint, minime mirandum eſt, ſi mulier "ab omni motu et labore aliena" eſt et vel "minima exercitatione etiam fatigatur." In hoc corporis ſtatu ut animus etiam langueat neceſſe eſt. "Somni deſiderium" ab inaequali humorum motu per cerebri vaſa, nec non ab eodem hoc compreſſo oritur.

"Palpebrae maxime matutino tempore turgent." Omnium expergiſcentium palpebrae ob ſupinum ſitum aliquantulum tumeſcunt. Quod tamen poſt leviorem fricationem ſtatim evaneſcit. Verum cum vaſa adeo ſoluta, humores adeo tenues et aquoſi ſint, haec moleſtia diutius maneat neceſſe eſt.

"Crura tument." Ob cordis et arteriarum actionem debilitatam et motu muſculorum deficiente ſanguis tardatur, et partium a corde magis diſtantium, adeoque pedum, venae ſanguinem ad cor eadem velocitate ideo non remittunt, qua arteriae reſpondentes eò illum pertulerant. Inde fit prope ſtagnatio.

natio. Pari ratione venae abſorbentes officio ſuo male funguntur. Itaque in membrana adipoſa humores aquoſi accumulantur, maxime, dum hae partes pendulae et totum corpus erectum manent: quo tempore contra propriam gravitatem humoribus aſcendendum eſt. Contra, in lecto ſupinis mulieribus jacentibus, humorum ad cor reditus expeditior fit. Itaque pedum tumefactio mane evaneſcit. Morbo deinde multum provecto, atque corde et vaſis omnibus etiam minus officia ſua facientibus, humores aquoſi magis accumulantur, et plura ſic loca uſque replentur donec totum corpus paulatim tumeſcat.

Prognoſis.

HIC morbus aliquamdiu durare ſine pernicie poteſt. Ob quam cauſam potius longus quam periculoſus habitus eſt. Idem inveterans et neglectus multa mala immedicabilia, duros naturalium viſcerum tumores, pertinaces et longas intermittentes aut tardas et hecticas febres, leucophlegmatien, hydropa et tumores facit. Et quo magis aliis

morbis longioribus et pertinacioribus ſive a labe parentum, ſive a mala ullarum partium conformatione natis mulier ante laboravit, tanto plus periculi imminet. Quin et ſterilitatem vel ineptitudinem ad liberos debito tempore pariendos ſaepe hunc morbum ſequi videmus. Contra curatio, ſi mature ſuſcipitur, feliciter et nullo cum negotio procedit. Itaque VAN SWIETENIUS ſalutem intra quadraginta vel quinquaginta dies reducere, ſi ſuis puellae praeceptis paruiſſent, polliceri nunquam dubitavit.

Ratio medendi.

UT menſtruorum retentio praecipua hujus morbi cauſa eſt, ſic, ut illa quamprimum erumpant, omni ratione conandum eſt. Quo igitur conſilio duo communia ſequenda ſunt.

PRIMUM ſanguinis impetus cum alibi tum maxime in utero augendus.

SIMUL impedimenta ibidem tollenda ſunt.

Verum

Verum cum neutrum horum fieri poſſit niſi primae viae prius purgentur; quaedam ideo de purgatione ante omnia abſolvam.

Varia, ut ante dictum eſt, cruda, inconcocta et tenacia in primis viis latentia, non ſolum turbas ante quoque memoratas concitant; ſed ventriculi et inteſtinorum latera ita obducunt, ut, quamdiu illa manent, neque medicamenta agere, neque curatio procedere, neque ulla ſpes ſalutis eſſe, poſſint. Ergo duobus modis, ſupra et infra purgando, illa omnia ejici debent. De quorum utroque verba faciam.

Radix ipecacuana contrita aut ejuſdem tinctura, ventriculum commode deterget; cui tamen, ſi mulier minus irritabilis eſt, ex antimonio parata, qualia ſunt tartarum emeticum vel vinum antimoniale, anteponenda ſunt. Sed vomitum moventia etiam alio nomine proſunt; ſiquidem totum corpus valida vi concutiendo ſanguinem citant, firmas partes elaſticas reddunt, et cum iis quae mox

praecepturi

praecepturi ſumus ut menſtrua reducantur, conjuncto opere agunt.

Leniter infra purgantia, cujuſmodi habentur tinctura ſacra, pillulae Rufi vel rheum, ad inteſtina iiſdem ſordibus levanda maxime ſunt idonea; ſiquidem motum inteſtinorum periſtalticum excitant, et utraque re illis haerentes corpore educunt.

Haec medicamenta ſive ſupra ſive infra purgantia in ventriculum et inteſtina ſtimulante vi agentia, non ſolum immunda et impura omnia intus latentia ore et alvo rejiciunt, et moleſtias ab iiſdem pendentes tollunt; ſed et concoctionem inſigniter corrigunt atque juvant, firmas partes roborant, humores craſſos attenuant, et horum circuitum aequaliorem reddunt. Hinc varias ſecretiones et excretiones excitant, et menſtrua reducendi optimum initium faciunt.

Quod ad menſtrua reducenda attinet, ad id quod primum in hac re curandum propoſuimus redeundum, et, quibus rationibus ſanguis ſit citandus, dicendum eſt.

Sanguis

Sanguis primum toto corpore, deinde in utero citandus eſt.

Toto corpore ſanguinem citant victus ratio, exercitatio, chalybeata, et alia roborantia, poſtremo varia animum oblectantia.

Idem in utero faciunt balneum, fricatio, compreſſio, propria quaedam ſtimulantia, emmenagoga dicta, item peſſus et ſimilia in ipſum uterum protinus inſinuata, poſtremo concubitui hic quoque locus eſt; de quibus omnibus ordine agendum eſt.

Ut nimius ciborum aquoſorum, craſſorum, et pinguium ideoque concoctu difficilium uſus hunc morbum et facit, et factum auget; ita in curatione haec omnia fugienda ſunt. Contra omnia quae nutriunt et concoctu facilia ſunt per cibum aſſumenda. Hujuſmodi vero ſunt carnes tenerae, aſſae, quibus mitiora aromatica juncta ſint; panis bene fermentatus, aſſus, vel aromatibus conditus. Cibus modicus eſſe debet quo facilius concoquatur. Si enim ad ſatietatem ſumitur, aut ventriculus oneratur; hujus robur imminuitur,

nervi

nervi gravantur, et eadem quae ante moleſtias exhibuerunt iterum naſcuntur. Modicus vero cibus ventriculum levat et levem ſervat, facile in nutrimentum mutatur, corpus totum roborat et toto ideo ſanguinem citat. Potui detur veteris et generoſi vini meri exiguum ſubinde aliquid; vel idem aqua ita diluatur ut mulieri guſtu gratum ſit, et, quoties opus eſt potione, capiatur. Vini enim modicus uſus ventriculum et totum corpus roborat. Neque ejus vim ignoraſſe Celsus videtur qui his verbis utitur. "Si "quis vero ſtomacho laborat, non aquam "ſed vinum calidum bibere jejunus de-"bet."

Praeterea in hac curationis parte exercitatio adeo utilis eſt, ut abſque hac potentiſſima remedia fruſtra ſaepe adhibeantur. Commode vero exercent rheda aut equo vehi, ambulatio, atque haec non utique plana commodior eſt, ſiquidem melius aſcenſus quoque et deſcenſus cum quadam varietate corpus moveat; niſi tamen id perquam imbecillum eſt. Eadem recta melior quam flexuoſa eſt. Poſt hoc, ſi vires ferant, curſus ten-

tetur.

tetur. Exercitatio autem ſit in aëre quam ſaluberrimo. Haec exercitationis genera alimenti digeſtionem et concoctionem, ſanguinis et chyli confectionem, ſecretiones et excretiones omnes promovere, ſanguinem toto corpore citare et hoc apprime roborare, experientia haud dubitanda docet. Cavendum tamen ne nimis corpus exercitetur. Exercitationis enim plerumque finis eſſe debet ſudor, aut certe laſſitudo quae citra fatigationem ſit; idque ipſum modo minus, modo magis faciendum eſt. Fatigatio quae nimiam exercitationem fuiſſe ſignificat animos deprimit, corpus hebetat, ſanguinem tardat et omnia quae ſaluti contraria ſunt efficit.

Porro ferrum atque inde parata, adjectis aromaticis amaris, leniter animantium vivarum fibras ſtimulant et potenter omnia roborant. Hujus generis eſt aqua Spadana, Pyrmontana et Tunbrigenſis. Haec enim, ſive aquae, quantum ſimplex et mera eſt, ſive ferri commixti naturam reſpicias, utro-

que nomine manifeſtò roborat. Eòdem quaedam amara ut Cortex Peruvianus etiam pertinent. Imbecillis vero et ſolutis habitibus praecipue conveniunt, ſiquidem ventriculum et vaſa chylopoetica firmant, et ut omnia vaſa validius in humores contentos agant faciunt; ita ut paulatim hi ex crudis et imperfectis, puri, ſani et apprime concocti reddantur. Itaque ſanguine et humoribus ſic paulatim in melius mutatis et vaſis firmatis ac roboratis; ſanguinis circuitus toto corpore expeditior et citatior redditur.

Postremo in hac curationis parte animus minime negligendus eſt. Hic vero quam maxime omnibus rebus quae jucundae ſunt exhilaretur, gratum ſodalitium viſatur, gratis ludis, voluptatibus innocuis atque puris indulgeatur, iiſque prae caeteris quorum poſtea recordanti memoria ſit jucunda. Luxuriantibus rebus et falſo animum gaudio ſuffundentibus, hunc deinde triſtem et depreſſum relicturis abſtineatur. Serenitati ſemper conſulatur.

Nunc

Nunc ad ea quae magis ad ſanguinem in ipſo utero citandum pertinent tranſeundum eſt; quorum primum balneum notavimus.

Hoc in loco ne totum corpus aqua calida perfundatur; ſiquidem talis curatio nimis omnibus partibus communis eſt. Sed artus inferiores et imus venter tantummodo balneo mergantur. Hujus enim vis duplice modo ſanguinem et in vicinis utero vaſis et in ipſo hoc citare poteſt.

Balneum enim partes quae eo perfunduntur hiſque vicinas ſolvere manifeſtum eſt. Idem quoque ſtimulare apparet. Artubus igitur inferioribus cum ima ventris parte aqua calida perfuſis; ſanguis citatus in arterias iliacas perpellitur; unde in uteri deinde vaſa ſimul ſoluta ſanguini irruenti facilior aditus patet.

Balneum quoque utendum eſt, hoc enim tempore quo aliquis eo utitur ſanguinis impetum auget. Quae quidem balnei proprietas, circa tempus quo menſtrua erumpere ſolent,

 adhibiti,

adhibiti, laetam felicis curationis ſpem promittit.

INTERDUM etiam femorum compreſſio haud inutilis eſt. Etenim femorum arteriae faſciis circumjectis arcte ligatae, atque ibi compreſſae, ubi ab chirurgo femur reciſuro comprimi ſolent, in arterias hypogaſtricas ſanguinem repellunt. Sanguis autem ſic arctatus ſolitas interdum vias repetit; atque ſic quoque menſtrua interdum exprimuntur. Haec ratio puellae ab HAMILTONIO qui nuper medicus Edinenſis fuit curatae et in actis medicis et literariis memoratae mirum in modum profuit. Cavendum tamen eſt, ne, nimis arcte arteriis compreſſis, inferiores artus moriantur; neve plus ſanguinis, magiſve ſubito quam vaſa majora tardius dilatata accipere poſſint, eo impulſum vaſorum lateralium aliqua perrumpat. Quorum caſuum utervis peſſimum eventum traheret.

DENIQUE quaedam ipſum uterum protinus ſtimulare dicta ſunt ideoque ſpecifica

audierunt.

audierunt. Hoc in numero crocus, myrrha et ſimilia habita ſunt. Equidem, ſintne omnino ſpecifica quae dicuntur necne, jure dubitare videor, certe nulla ore accepta hac poteſtate pollere credenda ſunt.

QUAEDAM tamen in ipſum uterum inſinuari poſſunt quae ſummopere prodeſſe fatenda ſunt; ſcilicet vapores calidae aquae qui ad balneum ſupra memoratum referendi ſunt.

CONCUBITUS efficaciſſimum remedium eſt, et a graviſſimis viris et medendi artis peritiſſimis laudatur.

NUNC quibus rationibus impedimenta tollantur dicendum eſt. Haec pars in duas quoque diducitur. Impedimenta enim duplicia ſunt et ſuam quaeque curationem poſtulant.

PRIMUM lentor impediens ſolvendus eſt.

DEINDE conſtrictio ſeu ſpaſmus relaxandus.

LENTOREM reſolvunt vis vaſorum aucta, et

et attenuantia, quorum praecipuum mercurius eſt; poſtremo idonea victus ratio.

Constrictionem vel ſpaſmum tollunt ſanguinis detractio, balneum, antiſpaſmodica vel antihyſterica. Quae omnia ordine quaeque ſuo perſequar.

Vim vaſorum augent omnia ea quae jam tractata ſunt ubi de ſanguine citando egimus; ſcilicet idonea victus ratio; varia exercitationis genera, chalybeata et alia roborantia. De quibus quoniam jam ſat fuſe retulimus, non opus eſt ut iterum in medium referantur.

Quod ſi concoctio adhuc corrigenda eſt, varia ſupra et infra purgantia, de quibus etiam relatum eſt, dari primum convenit. Eadem, qua concutiendo qua ſtimulando, vim vaſorum multum quoque excitant. Nec ſtomachica quae dicuntur his ſubinde adjecere alienum eſt; qualia centaurium minus, radix gentianae et calamus aromaticus ſunt. Haec inflationem prohibent et tollunt, viſ-

cera

cera roborant et calefaciunt, et una cum reliquis vim vaſorum angentibus lentorem ſanguinis diſſolvunt.

Postremo aquae chalybeatae ſupradictae conducunt.

Item lentorem ſolvunt omnia humores attenuantium genera; hujuſmodi ſunt e mercurio parata, ut pillulae mercuriales laxantes, vel leniter purgans calomelas. Hoc quoque in numero habenda ſunt aromatica, gummi fetida, hellebori nigri tinctura quae tantopere a Meidio praeclaro laudatur. Inſuper ex ſcillae amarae radicibus confecta ita agere nota ſunt ut pro attenuantibus jure ſint habenda, ſive ad vomitum movendum ſive ad quaedam mutanda, quod alterare dicitur, aſſumuntur. Haec imum ventrem optime detergent. Van Swietenius, ea dupliciter agere, urinam movere et potenter omnia viſcida attenuare teſtatur.

Postremo una cum his remediis omnibus nutriens victus et concoctu facilis ſupra memoratus

memoratus aſſumptus optime etiam in hac parte reſpondet.

PERACTIS quae ad lentorem ſolvendum pertinent, ad ſpaſmum ſolventia tranſire proximum eſt; et a ſanguine miſſo ordine incipiendum.

SANGUINIS detractio in omnibus affectionibus ſpaſmodicis ſummam ſemper utilitatem praeſtat. Eadem igitur, hoc morbo incipiente quo tempore ſpaſmus maxime viget, praecipue ſi mulier plena eſt, plurimum prodeſſe poteſt. Sic enim vaſis onere levatis; ſpaſmus adimitur, arteriae contrahunt ſeſe et dilatant facilius et meliore ordine. Hinc ſanguis ante tardatus nunc expeditur et liberius ad omnes corporis partes circumfertur. Denique per omnium ordinum vaſa humores omnes majore mobilitate toto corpore digeruntur.

VERUM, ubi morbus provectus ac imbecillitas cum reſolutione aucta eſt, jamque cacochymia ſuſpicanda eſt, ut vena ſecta noceat neceſſe

neceſſe eſt. Vitiati enim humores nullam rubri ſanguinis jacturam pati videntur. Itaque VAN SWIETENIUS "in queis" inquit "ſanguis ruber deficit; ſi talibus aegris per "venae ſectionem dematur pauculum ſangui-"nis quod adhuc ſupereſt; tanto magis "languent et tanto difficilius curantur."

CRURA vel femora balneo perfuſa uteri ſpaſmos saepiſſime ſolverunt. Quo verò modo agat hujuſmodi balneum, jam ante expoſuimus. Praeterea inferiorum artuum nervos grato ſenſu afficiunt, qui ſenſus ad cerebrum et univerſos nervos deinde perfertur. Quo fit ut totum corpus minus irritabile eveniat et ſpaſmi ſive totius ſive partium tollantur.

POSTREMO reliqua antiſpaſmodica medicamenta uſurpanda ſunt. Cujuſmodi ſunt caſtoreum, moſchus, crocus et aſa foetida. Haec fibras vivas ita ſedant ut non ſolum earum irritabilitatem minuant adeoque dolores et ſpaſmos conſopiant, ſed etiam roboris aliquid ſaltem pro tempore impertiant. In-

ter antiſpaſmodica, opiata inſignia ſunt, quae, ſi caute adminiſtrantur, conſtrictiones tam uteri quam reliquarum partium, maxime, in iis corporibus quae admodum imbecilla et irritabilia ſunt, feliciter ſaepe ſuſtulerunt. Huc oleoſa hauſta leviter alvum purgantia pertinent, quae irritabilitatem inteſtinorum adeoque ſpaſmos adimunt.

Item circa tempus quo menſtrua redire ſolent, aqua tepida cum triginta vel quadraginta laudani guttis per alvum immiſſa, molliendi, irritabilitatem conſopiendi et ſpaſmos inteſtinorum inferiorum et uteri vicini ſolvendi poteſtate pollent.

Variis ſanguinis citandi et impedimenta expediendi rationibus expoſitis, reſtat quiddum cujus agendi ratio quo referenda ſit incertum eſt, ſcilicet electricitas. Haec, ſcintillis ex femoribus prae caeteris elicitis, in ſuppreſſis vel retentis menſtruis multis mulieribus profuit, iis potiſſimum quibus arteriae tenuiter et debiliter micabant. Multis enim quibus menſtrua occluſa erant, electrica

electrica vi percuſſis protinus menſtrua erupiſſe, aliiſque quae ob alios morbos electrico ictu affectae erant eadem majori copiâ profluxiſſe, certa teſtimonia probant.

Menstruis curatione ſupra relata reductis et morbi cauſa ſublata; idoneo victu et exercitatione roborata puella pallorem et foedum colorem vegeto et integro mutabit; candor decorus redibit. Quaeque modo vix aegra membra trahebat, nunc alacris et vivida laſcivientium virginum choros ad gaudium et oblectamentum quidque prima ductabit.

FINIS.

CORRIGENDA.

Page 4. line 1. *Pro* paullatim *lege* paulatim

4. 20. *Pro* frequentur *lege* frequenter

17. 1. *Pro* torpoſcunt *lege* torpeſcunt

22. 7. *Pro* utraque re *lege* acres res.

23. 7. *Pro* ſtimulantia, *lege* ſtimulanti

31. 2. *Pro* angentibus *lege* augentibus.